

SEDULII SCOTI

EXPLANATIUNCULA DE BREVIARIORUM ET CAPITULORUM CANONUMQUE DIFFERENTIA.

(Mai., Script. Collect. nova, tom. IX.)

INCIPIT

BREVIARIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

Nativitas Christi. Magi cum muneribus veniunt, et reliqua. Perquirendum est quid inter breviarium et capitulum atque canonem distet. His etenim tribus, quasi quibusdam clavibus, cuncta evangelici voluminis arcana reserantur. Nam sublati breviariis, capitulis et canonibus, omnia confusa erunt et ambigua, et quæ sunt eadem, vel vicina, vel sola, et qui vel quot evangelistæ in quibuslibet sententiis consonent, aut de quibus rebus edisserant, hoc totum sine prædictis clavibus amphibolum erit. Itaque hæc tria propriis differentiis ab invicem discernamus. Breviarium est rerum in contextu Evangelii narratarum compendiosa et brevis expositio. Unde et breviarium brevis causa nominatur, eo quod per hoc totus Evangeliorum textus breviter comprehenditur. Capitulum est quelibet in Evangelii sententia seu narratio. Canon est titulus, quo cognoscitur concordia evangelistarum, id est quis, vel qui, vel quot evangelistæ unumquodque capitulum ediderunt. Ob necessarias itaque causas hæc tria repertarunt. Nam breviarium ob hoc repertum est, quatenus ipsæ res quæ evangelico volumine narrantur, hoc breviter præmisso et considerato compendio, citius et lucidius patescant, ut quod in Evangelio quisque invenire desiderat, breviariorum consideratione cum summa facilitate reperiat. Canones ob hanc causam reperti et vocati sunt, quatenus eorum distinctione, concordia evangelistarum, id est qui et quot evangelistæ eadem vel vicina vel sola in Evangelii capitula dixerunt, agnoscatur. Capitula ob hoc inventa et notata sunt, ut per hæc quilibet sententia vel narratio in quolibet Evangelio agnoscatur. Notandum quoque quod nec capitulum sine canone, nec canon sine capitulo, per totum Evangelii contextum esse possunt, quia hæc duo sibi invicem inseparabiliter connexa sunt. Licet enim fieri posset ut ex negligentia scriptorum, quodvis capitulum numerum sui canonis non habeat subscriptum, vere tamen aliquo canone carere non poterit. At breviarium sine canone vel capitulis subscriptis, licet non absque capitulorum sensu, consistit. Non enim in

A breviario qui vel quot evangelistæ quilibet sensu ediderunt, neque capitulorum numerus perquiritur: alioquin quomodo contextui evangelico, sic et breviario, uterque numerus canonum et capitulorum superscribendo apponetur. Quod quia non agitur, manifestum est quod illud in breviario proprie dicuntur, ut quæ in evangelico textu diversis capitulis et canonibus multiplici narratione exponuntur, ea in breviario, quasi quodam pugillo, brevi assertione demonstrentur.

B Illud quoque notandum quod sicut breviarium sine canone et capitulis consistit, sic et capitula sine breviario sæpe posita reperiuntur. Nam in exordio Evangelii secundum Matthæum, in quo ter xiv, hoc est **XLII** generationes describuntur, duo capitula duoque canones, tertius videlicet ac **dœcimus** canon, absque breviario includuntur. Si quidem in eo quod subsequitur, *Christi autem generatio sic erat*, et reliqua, initium breviarii exorditur. Nam ibi nativitas Domini exponitur. Cur autem non a principio **XL** et duarum generationum breviarium Evangelii secundum Matthæum sumat exordium, investigandum est. Poterat enim tale breviarium, nulla obsidente ratione, sic constare, **XL** duarum generationum enumeratio, nativitas Christi, et reliqua: sed propter nativitatis Dominicæ excellentiam, ab ultima, id est quadragesima secunda generatione, seu nativitate Salvatoris, exordium breviarii sumpsit. Nec mirum si in breviario, sicuti quædam in brevi colliguntur, ita nonnulla causa brevitatis omittuntur, cum utrumque breviarii sit proprium: alioquin breviarium non erit breviarium. Notandum quoque in ceteris evangelistis, quod in his quædam capitula et canones ante initium breviarii posita reperiuntur, ut in exordiis Evangeliorum Marci, Lucæ et Joannis, post quædam capitula vel canones, initia breviariorum exordiuntur. Illud quoque sciendum est quod cum canones et capitula, aliquando in principio, aliquando in medio, nonnunquam etiam prope finem cuiuslibet sensus adnotentur, brevia nonnisi in primordiis sensuum locis exordiuntur. Unde evenit ut ipsa brevia sæpe in principio, aliquando in medio, nonnunquam etiam prope finem capitulorum, sed tamen in principio sensuum, exordia emittantur.